

potentia, quæ est ejus subjectum. Sed objectum fidei est verum, quod est objectum intellectus; non autem bonum, quod est objectum voluntatis. Ergo subjectum fidei non est voluntas, sed intellectus.

Præterea. Ad eandem vim pertinet fides, & id quod fidei succedit in gloria. Sed id quod fidei succedit, scilicet visio, pertinet ad intellectum. Ergo & fides.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod pertineat ad intellectum practicum. Sicut enim dicit Philosophus in III. de Anima, text. XLVIII. intellectus speculativus nihil dicit de fugiendo, (1) vel imitabili. Sed per fidem instrumur quid facere, vel quid vitare debeamus. Ergo fides est in intellectu practico.

2. Præterea. Intellectus speculativus proportionatè respondet imaginationi, sicut intellectus practicus æstimationi, quæ est in parte sensitiva. Sed imaginatio non facit confidentiam, & terrorem, ut dicitur in II. de Anima, text. CLIV. immo per eam nos habemus ad terribilia, ac si essemus in pictura considerantes. Ergo nec intellectus speculativus. Sed fides est principium spei, & facit tremorem: quia demones credunt, & contremiscunt, ut dicitur Jacob I. Ergo fides non est in intellectu speculativo.

3. Præterea. Intellectus speculativus non permittit voluntati, sed practicus. Fides autem consistit in intellectu, & voluntate, ut dictum est. Ergo subjectum ejus non est intellectus speculativus, sed practicus.

Sed contra. Intellectus practicus est contingendum operabilem à nobis. Sed fides est æternorum. Ergo fides non est in intellectu practico.

Præterea. Cognitio practica est causa cognitorum. Sed fides non est causa rerum quæ creduntur. Ergo non est in intellectu practico.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod sit virtus intellectualis. Virtus enim intellectualis est quæ habet pro subjecto intellectum. Sed fidei subjectum est intellectus. Ergo est virtus intellectualis.

2. Præterea. Articuli fidei, quorum est fides, sunt sicut principia in aliis scientiis, ex quibus procedit Theologia. Sed intellectus principiorum est virtus intellectualis, ut patet per Philosophum in VI. Ethic. cap. III. Ergo & fides articulorum est virtus intellectualis.

3. Præterea. Virtus intellectualis, ut dicit Philosophus in VI. Ethicor. ibid. est per quam non dicitur nisi verum. Sed fidei falsum subesse non potest. Ergo fides est virtus intellectualis.

Sed contra est quod Philosophus dicit in VI. Ethic. ibid. quod suspicio non est virtus intellectualis, sicut nec opinio: & eadem ratione nec fides, quæ est ex eorum genere.

Præterea. Virtus est ultimum in re de potentia, ut dicitur in I. de cælo, & mun. text. cxvi. Sed fides non ponit intellectum in ultimum sui, quia per ipsam intellectus non terminatur in aliqua visione. Ergo fides non est virtus intellectualis.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem,

(1) Nicolai de immutabili: ad marginem vero, vel potius de fugiendo, & prosequendo, juxta græcum.

(2) Al. & est. Forte & ideo est.

quod voluntas importat actum intellectus, sicut & actum irascibilis, & concupiscibilis. Ad hoc autem quod actus irascibilis, & concupiscibilis sit perfectus, oportet quod non solum sit aliquis habitus in voluntate, vel ratione imperante, sed etiam quod sit aliquis habitus in irascibili, & concupiscibili exequente, ut faciliter actum exequatur: unde & oportet aliquem habitum esse in intellectu ad hoc quod voluntati faciliter obediat in his quæ sunt supra rationem; & hoc est habitus fidei: & ideo subjectum fidei est intellectus.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia non sumitur ibi pro essentia, sed pro forma. Fidei autem forma quodammodo est charitas, ut infra patebit, quæ in voluntate est.

Ad secundum dicendum, quod scientia, & intellectus habent certitudinem per id quod ad cognitionem pertinet, scilicet evidentiam ejus cui assentitur; fides autem habet certitudinem ab eo quod est extra genus cognitionis, in genere affectionis existens: & ideo scientia, & intellectus est sicut in subjecto in eo à quo habet certitudinem, non autem fides.

Ad tertium dicendum, quod meritum consistit in voluntate sicut in causa, in quantum ipsa semper importat actum meritorium; non autem semper in ipsa est sicut in subjecto: quia actus meritorius quandoque elicitur ab aliis potentiis.

Ad quartum dicendum, quod infidelitas est etiam in intellectu sicut in subjecto; in voluntate autem sicut in imperante infidelitatis actum, (2) ut est actus infidelitatis demeritorius.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod intellectus speculativus, & practicus in hoc differunt quod intellectus speculativus considerat verum absolute, practicus autem considerat verum in ordine ad opus. Contingit autem quandoque quod verum ipsum quod in se considerabatur, non potest considerari ut regula operis, sicut accidit in mathematicis, & in his quæ à motu separata sunt: unde hujusmodi veri consideratio est tantum in intellectu speculativo. Quandoque autem verum quod in se consideratur, potest ut regula operis considerari; & tunc intellectus speculativus fit practicus per extensionem ad opus. Hoc autem contingit dupliciter. Quia aliquando illud verum quod utroque modo potest considerari, non habet magnam utilitatem, nisi in quantum ordinatur ad opus: quia cum sit contingens, non habet fixam veritatem, sicut est consideratio de operibus virtutum: & tunc talis consideratio, quamvis possit esse & speculativi, & practici intellectus, tamen principaliter est practici intellectus. Aliquando vero illius veri consideratio habet in se dignitatem quamdam, etiam si numquam ad opus ordinetur, sicut accidit in consideratione divinarum, quorum cognitio dirigit in opere; & tamen visio Dei est ultimus finis operis: & tunc illa consideratio principaliter est in intellectu speculativo, & secundario in practico. Cum ergo fidei objectum proprium sit veritas prima, quæ, in quantum est finis operis, regulat in opere; fides principaliter erit in intellectu speculativo, & secundario in practico: quia intellectus speculativus, & practicus non sunt diversæ potentia, sed differunt fine, ut dicitur in II. Metaphys.

phys. & III. de Anima, in quantum practicus ordinatur ad opus, speculativus autem ad veritatis inspectionem tantum.

Ad primum ergo dicendum, quod fides inclinatur ad operandum, & fugiendum, in quantum illud verum quod in se considerari potest, accipitur ut regula operis.

Ad secundum dicendum, quod in quantum verum quod fides considerat accipitur ut conveniens, vel contrarium, secundum hoc fides inducit vel tremorem, vel spem, vel aliquid hujusmodi.

Ad tertium dicendum, quod conjunctio intellectus ad voluntatem non facit intellectum practicum, sed ordinatio ejus ad opus: quia voluntas communis est & speculativo, & practico: voluntas enim est finis; sed finis invenitur in speculativo, & practico intellectu.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod cum virtus ponat potentiam in ultimo quantum ad actum, non sufficit ad rationem virtutis quod potentia per actum ponatur in ultimo quantum ad objectum; sed oportet quod ponatur in ultimo quantum ad modum agendi, ut scilicet actus sit bonus non solum ex eo quod bonum est quod fit, sed eo quod bene fit, sicut patet in virtutibus moralibus. Bonum autem intellectus est verum, quod est finis, & perfectio ejus. Unde non sufficit ad rationem virtutis intellectualis quod per eam cognoscatur verum, sed oportet quod actus quo verum consideratur, sit perfectus etiam ex modo, ut bene quis intelligat. Bene autem operari intellectum, non contingit ex hoc quod ex bona voluntate ejus operatio procedit, ut dictum est, sed efficacia intellectus ad objectum proprium conspiciendum vel in se, vel per resolutionem ad id quod in se conspicitur. Fides autem per actum suum ponit intellectum in ultimo quantum ad objectum, in quantum facit assentire primæ veritati; non autem quantum ad modum proprium ipsius intellectus: quia intellectus noster non est per fidem tantæ efficacis ut id quod credit, inspicere per se possit, vel ad ea quæ inspicit, reducere: & ideo fides non est virtus intellectualis.

Ad primum ergo dicendum, quod non omnis habitus qui habet pro subjecto intellectum, potest dici virtus intellectualis; nisi perficiat intellectum, & quantum ad objectum, & quantum ad modum actus.

Ad secundum dicendum, quod ad principia aliarum scientiarum videnda sufficit lumen intellectus agentis: & ideo habitus illorum principiorum est virtus: sed ad visionem articulorum neque lumen intellectus agentis sufficit, neque lumen fidei; & ideo non est virtus intellectualis.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod fides non errat, sed semper verum dicit, non est ex perfecto modo intelligendi, sed magis ex alio, quod est extra intellectum, scilicet ex infallibili ratione, quæ dirigit voluntatem.

ARTICULUS IV.

Utrum fides sit virtus, & utrum sit habitus.

2. 2. quæst. LV. art. 5. & de verit. quæst. XIV. art. 3.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod fides nullo modo sit virtus. Nulla enim in III. Sent. Tom. III.

virtus præter intellectualem habet verum pro objecto, nec est habitus cognitivus, sed operativus. Sed fides est habitus cognitivus, & habet verum pro objecto. Ergo cum non sit virtus intellectualis, videtur quod nullo modo possit dici virtus.

2. Præterea. Credere videtur univoce dici, secundum quod credimus articulos, & secundum quod dicimur aliis credere. Sed fides aliorum non est virtus. Ergo nec fides articulorum.

3. Præterea. Omne quod est contra rationem, est vituperabile: quia malum hominis est contra rationem esse, ut dicit Dionysius IV. cap. de divin. Nomin. Sed fides cum faciat abnegare rationem, videtur contra rationem esse. Ergo credere est vituperabile: ergo fides non est virtus.

4. Præterea. Sicut per fidem cognoscimus ea quæ sunt supra rationem, ita & per prophetiam. Sed prophetia non dicitur virtus. Ergo nec fides.

5. Præterea. In Deo dicuntur esse virtutes exemplares. Sed fides non habet exemplar in Deo. Ergo fides non est virtus.

Sed contra. Nihil justificat nisi virtus. Sed fides justificat: Rom. v. 1. *Justificati ergo ex fide.* Ergo fides est virtus.

Præterea. Vita spiritualis est per virtutem. Est autem vita spiritualis per fidem, ut dicitur Rom. I. & Habac. II. Ergo fides est virtus.

Præterea. Per virtutes efficiuntur filii Dei. Hoc autem fit per fidem. Joan. I. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Ergo fides est virtus.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod fides non sit una virtus. Quidam enim articuli fidei sunt de æternis, ut qui pertinent ad Trinitatem personarum; quidam vero de temporalibus, sicut qui pertinent ad incarnationem Christi. Sed scientia, & sapientia sunt diversa dona per hoc quod sunt de temporalibus, & æternis. Ergo fides non est una virtus.

2. Præterea. Spes, & timor differunt per hoc quod spes est de bonis futuris, timor vero de malis. Sed fides est de utrisque, quia est de suppliciis, & premiis. Ergo fides non est una virtus.

3. Præterea. Ad fidem pertinent multa quæ sunt morales Philosophiæ, sicut fornicationem esse mortale peccatum; & quæ sunt naturalis, sicut mundum non esse æternum; & quæ sunt Philosophiæ primæ, sicut Deum habere curam de actibus humanis. Ergo videtur quod fides non sit unus habitus.

Sed contra. Ephes. IV. 5. *Una fides.*

Præterea. Sicut prudentia dirigit intentionem in politicis, ita fides in gratiis, ut dicit Augustinus, sup. Psalm. XXXI. Sed prudentia est una, quamvis in diversis intentionem dirigat. Ergo & fides.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod, sicut supra dictum est, cum virtus sit reddere opus bonum, operatio potest dici bona vel formaliter, in quantum procedit ex potentia quæ movetur in bonum secundum rationem boni, vel materialiter, secundum quod est congrua, & connaturalis potentia. Et utroque modo actus fidei est bonus; quia & congruit intellectui in quantum est verorum; & iterum procedit à voluntate imperante, quæ movetur in bonum quasi in objectum. Ex parte autem intellectus, quamvis habeat bonitatem ratione objec-

ti; non tamen habet perfectionem, quia deficit modus, ut dictum est, eo quod non habeat conspicuam veritatem, cui adhereret. Sed ex parte voluntatis potest habere perfectionem, in quantum voluntas perfecta in appetitu boni firmitatem, & certitudinem facit in fide: & ideo Bernardus dicit, Lib. V. de consideratione c. 111. quod fides est *voluntaria quedam, & certa prelibatio nondum propalata veritatis*. Unde patet quod fides est virtus non quidem intellectualis; sed eo modo quo communiter loquimur de virtute, quæ producit actum bonum ex bonitate voluntatis procedentem. Nec tamen est virtus moralis: quia non est ordinativa appetitus sensibilis, ut consistat circa delectationes, & tristitias, & operationes, sicut circa materiam, & objectum: sed est virtus theologica; quod quidem genus Philosophi non cognoverunt.

Ad primum ergo dicendum, quod prima propositio habet veritatem de virtutibus quas Philosophi cognoverunt, qui præter intellectuales, nullas virtutes nisi morales posterunt.

Ad secundum dicendum, quod ratio inclinans voluntatem ad credendum articulos, est ipsa veritas prima, quæ est infallibilis; sed ratio quæ inclinat voluntatem ad credendum alia, est vel aliquod signum fallibile, vel dictum alicujus scientis, qui & falli, & fallere potest: unde voluntas non dat infallibilem veritatem intellectui credenti alia credibilia, sicut dat infallibilem veritatem credenti articulos fidei: & propter hoc hæc fides est virtus, & non alia.

Ad tertium dicendum, quod fides non est contra rationem, sed supra rationem: & ideo non dicitur abnegare rationem, quasi rationem veram destruens, sed quasi eam captivans in obsequium Christi, ut dicit Apostolus I. Corinth. x.

Ad quartum dicendum, quod prophetia nullo modo potest esse virtus: neque intellectualis, cum non perficiatur per eam operatio intellectus secundum modum intellectui connaturalem: quia ea quæ per prophetiam revelantur, non possunt resolvi ad principia naturaliter cognita: neque est virtus theologica: quia non habet Deum pro objecto, sed res temporales: neque iterum actus intellectus per prophetiam à voluntate imperatur.

Ad quintum dicendum, quod fides habet exemplar in Deo quantum ad id quod perfectionis in ipsa est, scilicet cognitionem, & certitudinem, sed non quantum ad id quod est imperfectionis: ex hoc enim non habet rationem virtutis.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod habitus multitudinem, & unitatem habet ex objecto. Objectum autem fidei est veritas prima, quæ est simplex, & invariabilis. Et ideo in fide invenitur duplex unitas: ex hoc enim quod unum & simplex est cui fides innititur, habitus fidei in habente non dividitur in plures habitus; ex hoc autem quod veritas est, habet potentiam uniendi diversos habentes fidem in similitudinem unitus fidei, quæ attenditur secundum idem creditum: quia, sicut dicit Dionysius VII. cap. de Div. Nom. veritas habet vim colligendi, & uniendi; è contrario error, & ignorantia divisiva sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod fides non est de aliquo temporali sicut de objecto; sed in quantum pertinet ad veritatem æternam, quæ est objectum fi-

dei, sic cadit sub fide; sicut fides credit passionem, in quantum Deus passus est.

Ad secundum dicendum, quod spes, & timor ad affectum pertinent, cujus proprium objectum est bonum, & malum, in quantum hujusmodi: & ideo diversificantur secundum differentiam boni, & mali. Sed bonum, & malum non differunt in ratione veri. Et ideo fides, cujus objectum est verum, non distinguitur ex hoc quod aliquo modo est de bonis, & malis.

Ad tertium dicendum, quod fides considerat omnia illa diversa sub una ratione, scilicet secundum quod innituntur veritati primæ: & ideo fides non diversificatur penes ea, quamvis sint diversæ scientiæ de eis, quæ ea considerant rationibus propriis, quæ diversæ sunt.

ARTICULUS V.

Utrum fides sit prior aliis virtutibus.

2. 2. quæst. 1v. art. 7.

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod fides non sit prior aliis virtutibus. Omnes enim virtutes simul infunduntur. Sed eorum quæ sunt simul, unum non est post alterum. Ergo fides non est prior aliis virtutibus.

2. Præterea. Fundamentum est prima pars ædificii. Sed super illud Luc. xi. *Dico vobis amicis meis, ne terreamini*, dicit Glossa: „Fortitudo est fundamentum fidei:“ & Bernardus dicit, Lib. V. de considerat. cap. xiv. quod in humilitate fundantur aliæ virtutes. Et similiter timor videtur esse fundamentum: quia dicitur, Psalm. cx. 11. *Initium sapientiæ timor Domini*. Ergo videtur quod fides non sit prima.

3. Præterea. Virtutes theologice, ut prius dictum est, ad hoc sunt ut fiat quedam hominis ordinatio ad finem. Sed spes, & charitas propinquiores sunt fini quam fides, quia habent finem pro objecto sub ratione finis. Ergo fide priores sunt.

4. Præterea. Super Psalm. xxxvi. *Noli emulari* &c. dicit Glossa, quod spes introducit ad fidem. Ergo spes est prior fide.

5. Præterea. Secundum ordinem potentiarum est ordo habituum. Sed fides est in intellectu, secundum quod est motus à voluntate, ut patet ex prædictis. Cum ergo charitas sit in voluntate, videtur quod charitas sit prior fide; & sic fides non est prima.

6. Præterea. Fides est principaliter in intellectu speculativo. Sed speculativa vita sequitur activam: quia nullus pervenit ad contemplativam otium, nisi prius depuretur mens per exercitium activam. Ergo virtutes morales, quæ pertinent ad vitam activam, sunt priores fide.

Sed contra. Cognitio præcedit affectionem: quia nihil diligitur nisi cognitum, ut dicit Augustinus, Lib. VIII. de Trin. cap. iv. Sed fides est in cognitione, cæteræ autem virtutes in affectione consistunt. Ergo fides aliis prior est.

Præterea. In omnibus virtutibus requiritur recta intentio. Sed fides intentionem dirigit, ut dicit Augustinus, super Psalm. xxxi. Ergo fides est ante alias virtutes.

Præterea. Per omnes virtutes homo accedit ad Deum. Sed accedentem ad Deum oportet credere, ut dicitur Hebr. xi. Ergo fides est ante alias virtutes.

SO-

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod aliquid potest dici prius altero & tempore, & natura. Tempore quidem omnes virtutes sunt simul, quia simul divinitus infunduntur; sed secundum naturam ordo virtutum pensandus est ex actibus, sicut & ordo potentiarum, quæ simul in anima concreantur. Actus autem fidei consistit in cognitione veri, quam præsupponit affectio boni, quæ exigitur in omnibus aliis virtutibus: & ideo fides, quantum ad id quod fidei est, (1) prior est omnibus aliis virtutibus secundum naturam.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de ordine temporis.

Ad secundum dicendum, quod fundamentum dicitur in spiritualibus metaphorice ad similitudinem fundamenti materialis. Potest autem ista similitudo attendi quantum ad duo; scilicet quantum ad ordinem, quia fundamentum præcedit alias partes; & etiam quantum ad virtutem fundamenti, quia fundamentum totum ædificium sustentat: quorum utrumque per similitudinem in fide invenitur: quia ipsa (2) omnibus aliis naturaliter prior est, & aliæ in ipsa firmantur: quia sine ipsa impossibile est placere Deo, Hebr. xi. Fortitudo autem dicitur fundamentum quantum ad alterum, in quantum scilicet spirituale ædificium contra adversa firmum reddit; humilitas contra prospera, quæ sunt occasio culpæ; sed timor contra ipsam culpam, quia *timor Domini expellit peccatum*: Eccli. i. 27. (3) unde timor præcedit alia quæ ad affectionem pertinent, cum charitatem introducat, ut dicit Augustinus, super Epist. I. Joann. tract. ix.

Ad tertium dicendum, quod spes, & charitas sunt propinquiores fini quantum ad consecutionem, quia charitas quodammodo attingit finem: unde ex hoc non habent quod sint secundum naturam prius fide; sed consequuntur eam, quia eis finem ostendit.

Ad quartum dicendum, quod sicut finis est prior in intentione, & posterior in esse; ita quanto aliquid est propinquius fini, est prius in proposito, quamvis sit posterius in esse vel tempore, vel natura: & ideo spes, secundum quod magis propinquat ad consecutionem finis quam fides, præcedit fidem in proposito, sed non in esse: & secundum hoc dicitur spes introducere ad fidem, non quæ jam sit, sed quæ proponitur futura: sicut cum alicubi proponuntur æterna bona, primo vult ea, secundo vult eis inhærere per amorem, & tertio vult sperare ea, & quarto vult credere ea, ut credens possit jam sperare, & amare, & habere: unde in essendo fides prior est.

Ad quintum dicendum, quod quamvis fides præsupponat voluntatem, non tamen præsupponit voluntatem jam amantem, sed amare intendentem, in quantum est fides: quia non potest affectus in aliquo firmari per amorem in quo intellectus non est firmatus per assensum; sicut etiam non potest tendere in aliquo per desiderium quod prius intellectus non apprehendit. Unde iste est naturalis ordo actuum, quod prius apprehenditur Deus, quod pertinet ad cognitionem præcedentem fidem, deinde aliquis vult ad eum pervenire, deinde amare vult, & sic deinceps, ut dictum est prius.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. potior. (2) Al. in omnibus. (3) Al. deest. unde.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Non occurrit nunc talis Liber, nec sententia ipsa, sed aliquid simile super Psalm. c. 111. & serm. x. de Verbis Domini cap. 111.

Ad sextum dicendum, quod fides non pertinet tantum ad vitam contemplativam; immo est principium & activæ, & contemplativæ, in quantum ostendit finem utriusque.

QUÆSTIO III.

DEinde quæritur de formatione fidei: & circa hoc quærentur quatuor.

Primo. Utrum fides per charitatem formetur.
Secundo. Utrum fides informis sit donum Dei.
Tertio. Utrum sit in dæmonibus.
Quarto. Utrum remaneat charitate adveniente.

ARTICULUS I.

Utrum fides formetur per charitatem.

2. 2. quæst. xxiii. art. 8. de verit. quæst. 11. art. 3. & infra dist. xxvii. quæst. 11. artic. 4. quæstiunc. 3.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod fides non formetur per charitatem. Formæ enim est præcedere, cum sit principium rei. Sed charitas est posterior fide, ut dictum est. Ergo fides non formatur per charitatem.

2. Præterea. Omnis res habet speciem à propria forma. Sed fides secundum suam speciem differt à charitate. Ergo charitas non est forma fidei.

3. Præterea. Unius rei non sunt diversæ formæ. Sed fides formatur per gratiam. Ergo non formatur per charitatem.

Sed contra. Fides sine charitate non potest elicere actum meritorium, quem charitate veniente elicit. Ergo charitas dat fidei aliquam vim; & ita videtur eam aliquo modo formare.

Præterea. Forma rei est decor ejus. Sed fides fit decora, ut Deus eam acceptet per charitatem. Ergo charitas format fidem.

QUÆSTIUNCULA II.

1. **U**lterius. Videtur quod fides informis sit virtus. Quia dicit Augustinus in Libro de vera innocentia, (a) quod cæteræ virtutes præter charitatem possunt inesse bonis, & malis. Ergo fides, secundum quod est virtus, potest esse in malis. Sed fides quæ est in malis, est informis. Ergo fides informis est virtus.

2. Præterea. Virtus est circa difficilia, & ex hoc habet laudem, ut dicit Philosophus II. Ethic. cap. 111. & VII. Sed difficillimum est credere articulos fidei: unde Augustinus dicit, de verb. Apostoli serm. xxvii. & habetur in sequenti distinctione, quod laus fidei est credere quæ non videt. Ergo videtur quod fides informis, quæ omnes articulos credit, sit virtus.

3. Præterea. Nihil opponitur vitio, nisi sit virtus, aut vitium. Sed infidelitatis vitio opponitur fides informis. Cum ergo fides informis non sit vitium, videtur quod sit virtus.

Sed contra. Fides informis est mortua, ut dicitur Jacob. 1. Sed nihil mortuum habet rationem virtutis. Ergo fides informis non est virtus.

Præterea. Virtute nullus male utitur, ut dicit Augustinus.

Kk 2

gus